



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

VII. De requisita intentione & consensu in suscipiente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

cè eos curaret præmoneri, & instrui de dispositione necessaria. Horum itaq; multos puto à peccato excusatos, licet fortè in statu peccati mort. essent: quia ignorabant excusabiliter dispositionem necessariam, de qua nūquam fuerant instructi. Non tamen facilè excusarim Pastores, quod supinà sæpius negligentia plebem suam de his non instruxerint.

3 QUÆRO. *An suscipiens Sacramenta in statu peccati mort. sine dispositione sufficienti, possit repelli?* Resp. si occultè petit, possunt ei denegari Sacramenta; si publicè non possunt, ob jus quod habet ad famam suam; nisi etiam publicum sit peccatum, de qua re agemus, cum de Eucharistia.

CAPUT VII.

De requisita intentione & Consensu in Suscipiente.

REquiritur in multis voluntas aliqua, aut actualis, aut virtualis, aut salcè interpretativa recipiendi Sacramentum. Est communis Theologorum sententia; definitq; Innocent.

Cap. Majores de Bapt. quod is qui numquam consentit, nec rem, nec characterem suscipiat Sacramenti: Strictius tamen loquuntur Theologi de voluntate in ministrante, quàm in suscipiente. Nam ad Sacramentum Extremae Unctionis sufficere docent voluntatem, quâ quisque fidelis vult frui remediis à Christo institutis, cupitque ea sibi applicari, si egerit. Idem dic de Sacramento Confirmationis. Similiter in Baptismo & Pœnitentia, licet requiratur voluntas quæ aliquando expressa fuerit, tamen si homo post illam incidat in morbum somnum, amentiam, poterit baptisari & absolvi.

Hæc autem non sufficerent in Ministro. Nam licet voluerit antea absolvere aut baptizare; si tamen postea superveniret ebrietas, sônus, amentia; ebriusq; aut amens, aut dormiens baptizaret, aut absolveret, non judicatur valide baptizasse, aut absolvisse.

Ratio discriminis esse potest, quia Minister est principium morale efficiens Sacramentum: unde intentio in

eo requiritur, ut principium & forma exterioris actionis, quæ humana aut rationali actione fieri debet. An in suscipiente tantum illa requiritur intentio, quæ sit quædam dispositio ut sit subiectum capax, sive non repugnans Sacramento. Ad quod videtur sufficere interpretativa illa voluntas, quæ censetur esse in amente & dormiente, qui priorem voluntatem non revocavit.

Ex his resolve casum qui accidit inter *Frankfurtum & Moguntiam*. Quidam Nobilis Judæum secum navigantem aggressus, in flumen præcipitat, brachio suspensum tenens in aquis, dicitque ei: *Agnosce Christum pro Deo, & baptismum pete, aut in profundum te mergo*: Judæus necem sibi imminere videns, petit baptismum & implorat misericordiam, dicens se agnoscere Christum pro Messia. Interrogat Nobilis an ex veritate cordis baptismum petat? Affirmat ipse. Accipiens ergo Nobilis ille aquam ejusque capiti superfundens pronunciat formam: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spi-*

Spi-

Spiritus Sancti. Postea in profundum impetu eum submergit, dicens se animam mittere Deo, ne fortè si prolonget ei vitam, eum baptismi poeniteat, & Diabolus eam possideat. Vtique hic actus crudelissimus fuit, & detestandus.

Quæritur tamen, an verè baptizatus cõsecrari debeat Judæus ille? Resp. si consensit baptismi, licet hic consensus per metum violentum & injuste incussum extortus fuerit, tamen validè baptizatus est; quia ut dicit Innocent. 3. *Capitulo Majores*, est solùm secundùm quid involuntarius, absolutè autem censetur voluntarius.

Nec refert quod talis metus irritaret Matrimonium. Cùm enim Matrimonium fundetur in contractu qui juris dispositioni subest, per juris dispositionem irritatur talis contractus, cui metus per vim & injustitiam incussus causam dederit. Baptismi autè Sacramentum non ita subest juris dispositioni, sed à Christo sic institutum censetur, ut sufficiat voluntas illum

suscipiendi, à quocumque extorta sit etiam per injuriam; quia saltem ipse Christus nullam facit injuriam, qui etiam sine consensu posset omnes ad baptismum cogere.

Quod si Judæus ille fide confensit, non fuit verè baptizatus; quia non voluit Christus aliquem per baptismum sibi obligari sine aliquo prævio consensu & intentione sua, quando illius capax cõsetur, ut ab Ecclesia declaratum est.

Ulteriùs, si Judæus ille per metum consentiens, nullam peccatorum præteritorum displicentiam, vel actualẽ, vel virtualem concepit, non jam Deo victima, sed lignum aridum inferno demersum est per manifestam baptizantis impietatem & crudelitatem. Quia licet Baptismi characterem potuit suscipere, gratiam tamen baptismalem non accepit sine dispositione, aut cum voluntate peccatis adhærente.